

**INDEX ad usum
VISITATORUM**

**Museum Curtis
Beginarum
in oppido Turnhoutensi**





Laeti salutamus vos, visitatores nostri honorati !

Curtis beginarum Turnhoutensis condita est circa annum MCCCum. Ab anno MCMXCVIII° agnita est patrimonium universalis UNESCO.


Extremo saeculo XVII ° circa trecentae sexaginta beginae ibi habitabant.

Anno MCMLIII° hoc museum singulare creatum est.
Tum in mansione tres beginae remanebant.

Ultima begina Turnhoutensis anno MMII° mortua est.
Videte et admiramini vitam cotidianam et singularem beginarum Turnhoutensium.

Hic index ad usum visitatorum vos per omnes musei cameras dicit. Obiecta octo, spatium unum (i.e. culina) et hortus separatim explicata sunt.

Vadite per pulpitum custodum ad ultimam cameram.



Camera prima quae " Camera Begghae " dicitur.

Imagines mobiles pertinentes ad curtem beginarum ibi ostenduntur
(per novem minutis).

Camera secunda quae " Camera Mermensis " dicitur.



1.CORONA PROFESSIONIS.

Beginae mulieres sui iuris et religiosae sunt. Vitas suas Domino consecrant et in curte beginarum cohabitant.

Beginae sibi ipsi victum quaerere debent. Sunt mulieres innuptae aut viduae, et pauperes et fortunatae quae bona possident.

Post unum annum tirocinii ritu sollemni iurant se castitatem et oboedientiam observaturas esse, sed non paupertatem.

Postea mulieres nuper intratae coronis professionis et linteis albis adornatae sunt : ea insignia sponsae Christi sunt.

Beginae curtem relinquere possunt, exempli gratia si nubere volunt.

Recedite nunc ad aditum et ite per atrium vitreum.

Camera tertia et quarta.

2. LAPIS MOSANUS qui vulgariter "moos" vocatur PARVA CULINA ET CULINA.
Vita cotidiana beginarum in hoc spatio illustrata est : supellex, foculum
carboneum (ad coquendas hostias) et artificia.
Ad dextram partem videtis parvas fornaces et ferra ad coquendas hostias,
lucernam, murum tegulis tectum saeculi duodevicesimi, urnam ad
exstinguendum relictum ignem et sportulam in pulvino.



In curte beginarum iam pridem denticulatum fabricatum est. Hic etiam
veterrimam fenestram Turnoutensem perspicere poteris. In armario depositae
sunt lanciae.

Accidit ut fortunatae beginae ancillam habeant et domum suam habitent.
Beginae pauperes saepe cohabit in domo quae conventus dicitur.
Videte sub mensa urnam carbonibus repletam ad calefaciendos pedes sub
amplis vestibus beginarum .

Camera quinta : “ Camera aegrorum ”.



3. SANCTA BEGGA / schola Flandrica – primum dimidium saeculi XVIII.

Nonne ambitio perennis est laudibus familiam suam extollere ?

In temporibus medievalibus et in saeculo XVI° familiae nobiles sanctis familiarum suarum student ad augendam auctoritatem gentiliciam.

Credunt Carolum Magnum a Begga ortum esse. Begga , “ de Andenna “ aut “ de Brabantia “ dicta, auctorem beginarum ordinis esse existimatur. Nobili genere nata est.

Cum filius adoptivus coniugem eius occidit et Begga in fuga salutem petere debet, cervus indicat vadum, quo effugere potest. Grata Begga vidua peregrinationem Romam facit et monasterium et septem ecclesias (vide eas infra in pictura, in angulo dextro) condit.

Begga picta est cum habitu beginarum , cum corona et insigniis nobilitatis super mensam.

Eo modo vitiosa opinio orta est Beggam ducissimam Brabantiae fuisse.

Camera sexta : “ Capella domestica ”.

Sedes cum fastigio et ara / circa annum MDCCum.

Camera septima : “ Camera thesauri ”.



4. EXEMPLAR ECCLESIAE SANCTI SEPULCHRI / anno MDCLXXXIV°.

Notabilissimum obiectum est hoc exemplar ecclesiae Sancti Sepulchri Hierosolymorum.

Exemplar in multis partibus subdivisum est, tamquam theca aedificandi quae “ Lego ” dicitur.

Materiae pretiosae in fabricatione applicatae sunt : ebur, lignum cedri et margaritae.

Ordo Fratrum Minorum has pretiosas et magnificas res facere solet.

Notandum est litteras peregrinationis ad illud exemplar adesse et conservatas esse.

Ecclesia Sancti Sepulchri Hierosolymorum hodie non solum Christianis locus peregrinationis est, sed etiam locus discordiae, in quo sex communitates religiosae ecclesiam administrant.

5. BURSAE RELIQUIARUM saeculi XIVi – XVII



Modus serendi et nectendi
inusitatus est. Ita vetustas earum
ostenditur. Et hae bursae bombycis
ac velluti inter res pretiosissimas
musei numerantur.

Desiderium reliquiarum ortum est ,
quod fideles non derecto Deum
advocare audebant.

Fideles nonnumquam reliquias
ostendebant in ostensoriis
magnificis. In tempore
restaurationis colores earum
bursarum identificati sunt : rara
coccoidea e locis longinquis.

Camera septima : “ Camera thesauri ”.



6. SALINA anno MDLXXX – MDLXXXI°.

Sal olim non ubique promptum erat et ergo materia pretiosa erat.

Gravitas alicuius intellegi potest ex loco quo aliquis in mensa a salina abest.

Sal ergo luxuria erat et ideo non vulgaris salina ostenditur, sed opus mirabile aurificis : salina cylindrica super tres aquilas cum alis apertis. In latere caelamen est : imago collum et narrationis biblicae sacrificii Abrahamis, qui rogabatur ut filium suum sacrificaret. Haec salina est opus unicum aurificis Antverpiensis Gerardi dicti Rasieri, quod traditum est in Belgio meridiano.

Camera octava : “ Camera consilii ”.

Veri similiter camera pulcherrima huius musei ; ibi visitatores a beginis accipiebantur et festa celebrabantur.

In hac camera beginae a magistra beginarum reprehensae sunt ob delicta minora ac maiora.

Camera nona : camera sororis dictae Agricolae

(alias “ de Boer ”).

7. PROCESSIONALE / circa annum

MDLum.

Alium culmen collectionis est processionale saeculi XVI. Hoc manuscriptum musicum continet cantus Gregorianos, quos beginae cantabant in processionibus dierum dominicorum et festorum. Processionale obiectum singulare est, quod mores loci reflectit et quod paene per quattuor saecula adhibitum est. Manuscriptum volumine e corio facto ligatum est et carmina continet quae manu scripta sunt in membrana. Sine dubio curti beginarum Turnhoutensi factum est : id deducimus e miniatura quae addita est cantui diei festi Sanctae Crucis. (Nam in curte beginarum ecclesia Sanctae Crucis est.) Processio medio mense Septembri exemplum traditionis et legati immaterialis est.





Ab extremo saeculo XVII° laudationes scriptae sunt cum festa celebrantur. Haec laudatio facta est Mariae Annae Gerardi professionis suae causa. Professio maximi momenti habebatur vitae beginae.

Verba laudationis ad nuptias mysticas referunt, quae beginae propriae sunt : “Veni, sponsa, in curtem meam”. Haec laudatio magna cum cura facta et ample ornata est.

In parte superiore sanctam Beggam videmus repraesentatam cum corona et libro. Saeculo XVII° patrona beginarum fiebat. Numerosae sunt laudationes et cantus gaudii, in quibus virtutes beginae descriptae sunt. Laudationes etiam factae sunt ad occasionem jubilaei, et beginis et pastoribus.

Camera decima : “ Camera magistrae beginarum “.

9. STATUA SANCTAE CATHARINAE ALEXANDRIAE / saeculo XVI°

Sancta Catharina multis scientiis
educata circa CCC post Christum natum
vivebat.

Quindecim annos nata opera Platonis
philosophi iam memoria tenet.

Se ad christianitatem convertit et
virginitatis votum suscipit. Maxentius
imperator amore in eam incenditur, sed
Catharina postulationem eius recusat.

Cum imperator rota acuta eam
perfringere vult, haec rota fulgere icitur
et frangitur. Alii conatus interficiendi non
succedunt. Tandem caput Catharinae
praeciditur.

Catharina ostenditur victrix imperatoris,
qui ad pedes eius iacet. Catharina, quia
se sponsam mysticam Christi esse
existimat, prima beginarum patrona
facta est.



Hortus curtis beginarum (foris).

10. HORTUS HERBARUM (ad ostium) ET HORTUS INTERIOR.

Beginae herbarum et florum hortum colunt sicut in multis monasteriis.

Antiquissimus hortus in Europa est hortus monasterii Sancti Gallieni in confoederatione Helvetica.

Ibi herba in culina adhibita sunt aut eis medicamenta et unguenta parata sunt. In horto flores crescunt qui significationem symbolicam habent : flores albi signa puritatis sunt, flores odorati malum avertunt.



Arbores fructiferae ramis suis ad caelum tangentes, divinam praesentiam memorant. Fons significat aquam, quae origo omnis vitae est, et fidem, quae vitam spiritualem beginarum incitat.

Buxus sempervirens signum constantiae est.

In horto interiore elementa historica conspiciuntur :

1. monumentum sepulchri in muro sinistro (monumentum beginae Elisabetae Oyen, quae anno MCDLXXX° mortua est) antiquissimus cippus remanens in oppido Turnhoutensi est.
2. Duae columnae saepis ecclesiae Sancti Petri Turnhoutensis in foro.
3. Arcus in muro posteriore mansionis pastoris Mermansi (ubi fuit ingressio equorum et curruum).
4. crux alba super tectum protectit a malis : a diabolis, a beneficis, a tonitru et fulgere.

Hortus interior et hortus herbarum inclusus est. Religioni catholicae hortus inclusus est hortus mysticus, locus meditationis et desiderii caeli, ubi beginae sponso suo caelesti appropinquant.

Descriptio Musei Curtis Beginarum Turnhoutensis



1 CAMERA BEGGHAE

2 CAMERA MERMANSIS

3 PARVA CULINA

LAPIS MOSANUS

4 CULINA

5 CAMERA AEGRORUM - SANCTA BEGGA

6 CAPELLA DOMESTICA

7 CAMERA THESAURI

EXEMPLAR ECCLESIAE SANCTI SEPULCHRI

BURSAE RELIQUIARUM

SALINA

8 CAMERA CONSILii

9 CAMERA SORORIS dictae AGRICOLAE - PROCESSIONALE

10 CAMERA MAGISTRAE BEGINARUM

LAUDATIO

SANCTA CATHARINA ALEXANDRIA

HORTUS HERBARUM ET HORTUS INTERIOR

Hanc translationem fecerunt Marijs Campforts et Jef Abbeel, magistri philologiae Latinae, circumstans Jef Van den Bergh.

MUSEUM CURTIS BEGINARUM

CURTIS BEGINARUM 56 B-2300
TURNHOUT

TELEPHONUM +32 14 42 12 48

INTERRETE www.begijnhofmuseum.be
BEGIJNHOFMUSEUM@TURNHOUT.BE



vzw "De Vrienden van het Begijnhof van Turnhout"

Amici Curtis Beginarum Turnhoutensis